

& verba Christi haberet & urgeret, ipsi vero
tantum glossas fingerent, verbis textus neglectis &
sepositis, respondisset, Vera haec esse omnia, nec se
his contradicere, optare autem se, si possibile fuis-
set, manum suam dextram sibi amputatam prius
fuisse, quam unquam de hac controv ersia quid-
quam scribere contra Lutherum, & alios cepisset.
Periit postea miserandum in modum etiam Carl-
stadius, per quem istius periculoso & lethalis dissidiij
iacta fuerat alea Unitebergæ, ut dictum est su-
pra. Renouauerat enim ille veterem heresin,
qua post Apostolorum tempora cepit, referente
Ioganno, cuius verba Theodoretus citat dialogo 2.
fol. 69. Fuerunt, inquit ille, heretici, qui negarunt,
τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τὸ σωτήρος ἡμῶν
Ιησοῦ χριστόν, τὴν ὑπὲρ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν πα-
θόσαν, id est, non constentur canam Domini
esse ipsam carnem Salvatoris nostri Iesu Christi,
qua pro peccatis nostris passa, & à patre resuscita-
ta est. Hanc heresin subinde renouatam, con-
stanter confuarunt Pares omnes, exceptis Alex-
andrinis allegorias fingentibus, ut testatur con-
sensus orthodoxus totius Ecclesiae, verus & since-
rus, non falsus, fictus, & vi manifesta ad alienas
opiniones detortus, ut hodie fit, quod alias ostendendum est, ubi ex tot scriptoribus & doctoribus
Ecclesiasticis non unus reperitur, qui neget veram
& corporalem presentiam & manducationem
corporis & sanguinis Christi. Et propter historiam

G 2 necessa-